



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

14. Novembris. Sicut damnosum est primates coram populo allatrare, atque proscindere. ità privatim admonere eos, qui, si velint, mederi malo possint, operæ pretium est. S. Ignat. ad sentien. cum Eccl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

riculo. Utinam non pari sæpissimè lethar-
go multorum animæ laborent !

Quàm sollicitè de temporalibus ineun-
tur rationes ! quàm accuratè lucra confe-
runtur, & damna ! res omnes ad trutinam
exactissimè revocantur. Sola nobis ità vi-
lescit anima, ut nullam mereatur sollici-
tudinem.

14. Novembris.

*Sicut damnosum est primates coram populo
allatrare, atque proscindere : ità privas-
tim admonere eos, qui, si velint, mederi
malo possint, operæ pretium est. S. Ignat.
ad sentien. cum Eccl.*

INeruditum vulgus sponte suâ in pejus
rapitur, & ad Magistratûs sibi præpositi
contemptum inclinatur: cave tu novam pa-
rata materiam flammam subdere, nisi velis
incendio publico causam dare.

Qui in edito sunt, remotiùs vident, quæ
sibi pariter innotuissent, rariùs eorum
gesta fugillares. Tibi obediendi, non judi-
candi relicta est gloria; minùs publicè ple-
ctendi potestas data.

Publica Magnorum exagitatio nulli
prodest; non Magistratui, quia justâ move-

tur indignatione; non populo, qui avertitur; quem diligere debebat, à Magistratu; non exagitantì, quia passionis suæ præmio contemptum refert.

Omnis potestas est à Domino, huic resistit: qui potestati se opponit. Ab hominibus nos regi Deus voluit, ut fidem nostram exerceret, ut etiam sub nube solem, sub erroribus obnoxii potestate Deum agnoscamus?

15. Novembris.

Ecclesia Catholica ita conformes esse debemus, ut, si quid, quod oculis nostris appareret album, nigrum illa esse desiniverit, debemus itidem, quòd nigrum sit, pronuntiare. S. Ignat. ibid.

Captivandus intellectus est in obsequium fidei; si enim is mysteria cognosceret, non fides esset, sed scientia. Profundius hoc mare est, quàm ut illi tuto te committas, nisi velis à gurgite non observato forberi.

Petri navicula est, quæ te naufragii periculo eximet, tot ventis, quot peregrinis opinionibus tua vela vertis, ad eam appellen-